

Arnold, Dompropst von Mainz, befundet denselben Tausch zwischen dem Stift Flonheim und dem Stift St. Alban in Mainz.

† In nomine sancte et individue Trinitatis Arnoldus, Maguntine metropolis maior prepositus, cunctis Christi fidelibus in perpetuum. Quia diutina volubilitate temporum et precipiti lapsu etatis hominum ea, que aguntur, nisi scriptis adnotentur, in oblivionem labuntur et decidunt, utilitati expedire visum est commutationem, que inter ecclesias sancti Albani in Maguntino suburbio et sancte Marie virginis in Flanheim facta est, intuitu memorie scripto commendari. Noverit igitur tam presens hominum etas, quam subsequutura posteritas, quod dominus Henricus, pretaxate ecclesie sancti Albani venerabilis abbas, adhibita communi fratrum suorum conventia investituram et ius patronatus ecclesie parochialis in Flanheim, quod ad ipsum et ad ecclesiam sancti Albani spectare dinoscatur, ecclesie beate Dei genitricis Marie in prefata villa fundate, preposito quoque loci eiusdem suisque confratribus regularibus inibi Deo famulantibus iuxta decretalium sanctionum permissionem perpetue ab ipsorum ecclesia et ab eis possidendum contulit; decimationes vero in villa Butinsheim canonica commutatione a suprascripto ecclesie sancte Marie preposito et suis confratribus regularibus ecclesie sancti Albani collatas in restaurum prenotate parochialis ecclesie recepit, cuius investituram et ius patronatus ut ante memoratum est, ecclesie beate Dei genitricis et famulis eius, preposito et regularibus, in perpetuum possessionem contradidit. Ut itaque commutatio illa strictiori nexu rata et inconversa in perpetuum permaneat, et omni iuris integritate parochialis ecclesia illa regularium ecclesie atineat, petitione prelatorum ecclesie Maguntine invitati, quia illud iuri nostro accedit, sepe dictum prepositum supra memorate parochialis ecclesie altari donavimus, pendentes in eo facta non solum cottidiana fratrum regularium stipendia augeri, verum etiam lites multas, que inter seculares personas, ipsius parochialis ecclesie quondam pastores, et inter prepositum et confratres suos originem persepe trahentes super administratione spiritualium in ipsa villa hominibus observanda congrua decisione finem sortiri non poterant, in posterum dirimi et terminari debere, presertim cum de cetero parochialis ecclesie huius ordinatio et administratio cum omni iure dinoscatur ecclesie sancte Marie et procurationi prepositi et regularium pertinere, salvo tamen per omnia iure domini archiepiscopi Maguntini et archidiaconi, ecclesie Maguntine maioris prepositi, ita ut nichilominus eis in eadem ecclesia in iusticiis parochialibus respondeatur.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>LXXX<sup>o</sup>I<sup>o</sup>, epacta III<sup>a</sup>, indictione XIII<sup>a</sup>.

Orig. Rest des aufgedrückten großen Siegels; Salm-Grumbach.

175